

ritonaeum ex nigro viride est. Cor angulatum. Hepar ex albo rubet, a quo fellis vesica pendet, perspicuitate et coloris jucunditate smaragdum referens. Intestina lata sunt, coloris lutei. Ob parvam branchiarum scissuram sat diu extra aquam vivit.

Carne est molli, sed ob parvitatem negligitur.

TAB.XVIII. 3. Ad hanc Piscis **GUTTUVROSUS** dictus referri potest. Nigricat quidem fere undiquaque: sed et punctis caeruleis distinguitur, et color luteus per totam superiorem dorsi pinnae partem, circa branchias et summo ventre visitur.

Littoralis est, et foramina lapidum aut aedificiorum littoralium subire solet, vel carne vasi injecta mox exempta capitur.

TAB.XVIII. 2. **ALAVDA NON CRISTATA** capite est parvo et rotundo, ore et oculis parvis, dentibus anterioribus ferratis, posterioribus longiusculis, acutis, exertis. *Pinnulas* duas habet ad branchias, duas in ventre, aliam statim a capite ad caudam continuam, item aliam a podice ori satis propinquo ad caudam usque ductam.

Cauda in unicam definit saxatilium more. *Maculae* multae mediae corporis parti asperae sunt.

Aqua, muco, parvis Atherinis et Aphyis vescitur. Carnis substantia et mollitudine cristatae par. In petrarum rimis degit, hinc nomen Percepiere fortitus est.

TAB. XV. 7.8. Huc et Exocaetus seu **ADONIS** Bellonii, qui cum Vrticis plurimum delectetur, et istae circa littora inter cautes haereant, mari profundius mergi recusat, in rupibus Bononiae, in cavis cautium quiescit.

Species illarum sunt plures, quarum una *Cristata* est Massiliae frequens, primo aspectu *Gobium* referens. Cuta glabra obducitur. *Vulgaris* *Glinos* vocat, colore est subrufo, ut *Scorpaena* multis aliis coloribus confusa. *Dentes* habet ut

Scarus, firmos, continuam tergoris pinnam, ac nescio quid supra oculos, quod veluti a pellis laxitate procedit, laterum pinnas inversas, duas sub ventre duabus tantum cirrhis radiatas. *Cristati* caput ad Chamaeleonem accedit, in cuius cacumine pinnam Galli cristam referentem videas. *Dentes* habet anteriores acutissimos.

Caudae pinnam, et laterum rotundam, sub sterno duas; alteram in tergore continuam, maxime latam. *Branchias* tectas, et parvo foramine pervias, sed et detectae quatuor numerantur utrinque. Cuta integratur laxa, multis coloribus ut *Draconis* variegata. *Chamas* et *conchylia* conficit: sed et urticis interdum parasitetur. Triduum vel quatriduum absque aqua vivit.

Tertium Exocaeti genus, piscatoribus Byzantinis *Glini*, aliis *Chelidoni* nomine venit.

Raro sex digitorum longitudinem, et duorum pollicum crassitatem excedit. *Squammis* caret, et liturae melinae cyaneae et fulvae per tergus diffunduntur. *Pinna* tergoris continua est et mollis, caudae et laterum latae, variis coloris omnes. *Branchiae* sunt coniectae, *Spinea* exterior, ut in *Dracone marino*, duobus aculeis obfirmatur: sed ab eo diffidet, quod quilibet aculeus duobus ferratis denticulis repandis et aduncis fulcitur. *Caput* habet polymitum, *Os* grande, inferiorem *maxillam* latam et planam. *Dentes* *Glini* priore aliquantulum minores. Dum scinduntur, *branchias* non ostendit integras, sed rudimenta coloris paulo magis rubra quam in *Muraena*. Non male ad *Basiliscos* Oppiani referuntur.

PHOLIS a muco ita dicitur, quem TAB.XVII. emittebat. περιπλάττεται περὶ οὐρὴν, καὶ γίγνεται καθάπερ θαλάμην. In circuitu ejus is concrescit, ac fit quasi cubile. Antipoli et ab Italies *Bayosa* vocatur. *Alauda* paulo major est, dorso fusco, cute laevi, maculosa, ventre pallido. *Pinnis* aliisque partibus a superioribus non differens.

Nec

Aristot. H.
A. I. 9. c. 55.
et Scalig.

Scalig. in
Aristot. I. c.

4.